Quelle: http://manuscripta.at/?ID=912
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



curabat antonius. Nunquid sue possibilitatis arbitrabatur
esse quod fecerat orationibus. Nunquid preceptis demones morbique ces
serunt. Sed ad xpi dei nostri nominationem semper universa perfecta
sunt. Nemo sapientium sanitatum immunitatem asscribat
antonio. Sed domino ihesu qui solitam erga creaturas suas exhibens
beniuolentiam. nunc quoque per electum suum indulgenter exer
cuit. Antonius tantum orabat. et ob uite eius merita cunc
ta dominus largiebatur. XXXIIII

Sepe autem et contra uoluntatem ad exteriorem montem a fratribus
perducebatur. et cum iudices qui ad interius archisterium
propter asperitatem itineris et obsequentium multitudinem. et
horridam solitudinem ire non poterant. quererent ut eius fru
erentur aspectibus nec impetrare posset. quia molestissi
me ferebat uexationem discursuum. ipsos catenatos. quos
aut noxius. aut uigor publicus constrinxerat. ad eum
destinabant. scientes tales ab antonio. non posse contempni.
Quorum fletibus superatus. perturbebatur ad exteriorem montem. agnoscens
laborem suum utilem miseris fore. suadebatque iudicibus qui
eum inuitauerant. ut in sententia proferenda. et odio et gratie
dei timorem ante ponerent. nec ignorare eos debere. quod scrip
tum est. Quo cumque iudicio iudicauerit. in eo iudicabitur de uobis.
et tamen intermedios sermones care sibi solitudinis recor
dabatur. Post coactam itaque presentiam. quam ducis preces et quod
uerius est miserorum. fletus extorserat. post salutaria monita

Libe[illegible] in Newnburga claustali